

## LIBER PRIMUS.

Me quoque principiis insistere credit iisdem;  
A vero longe fert se avius. illa petenda  
E rapido aurarum pulsu est ars omnis, & una  
Corporis e textu formaque ipsius: in altum  
Ceu pueri quum saepe jubent, si vespere sero  
Occiduis auras Zephyrus levis exciter alis,  
Tollier ardenti simulatos igne cometas,  
Pithonum aut formam, aut cadmeae corpora sphyngis.  
Vidi ego & aoniis (e) penetralia sacra camoenis,  
Thelegoni qua se tollunt juga roscida, & altae  
Pinifero placide adsurgunt in vertice villae:  
Illic pegasidum resonō chorus adsidet antro  
Omnis, & ingenti motu dum pulsus aquarum  
Prostiliens aer caecis e sedibus exit,  
Concentus inter varios & carmina laeta  
Buccina & arguto reboat tritonia cantu,

A 3

Et

---

Gellius in noct. att. Regiomontanus, Petrus Jac. Martellius in Dialogo de Volatu, ac praesertim Franciscus Lana S. J. celebris in Italia ac philosophus suo tempore ac mathematicus, qui praeter aeriam navigacionem, etiam artem hujusmodi diserte docet in suo prodromo ad lib. mag. n. s. C. art.

(e) Haec quidem de Pamphiliorum tusculano intelligenda; in quo nihil eorum desideres, quae vel ad amoenitatem spectant vel ad magnificentiam. Lusus vero illius pilae ab aere suspensae in eodem habetur, ut vocant, musarum cubiculo.